

# PIVS PP. XII

## *Ad perpetuam rei memoriam*

**P**rovidentissimi Dei est, prout ipsa humana docet ratio et sacris confirmatur Chartis, mundum legibus regere et justitiam ita inter homines inferre, ut boni malis arceantur, mali vero, custoditi atque observati, sollicitati, numquam tamen libertate sua destituti, boni fiant, ut que contingat "omnes homines salvos fieri", sic revelante Deo. **D**e quo perenni malum inter et bonum dirimendo certamine Omnipotens Deus Sancto Michaëli Archangelo mandavit, cuius nomen "quis ut Deus" sonat ac "fortitudinem Dei" exprimit et denotat. **I**psi enim, qui Angelicae militiae Dux ac Princeps est a Deo constitutus, tenebrarum Principi ejusque satellitibus resistere commissum fuit, tum eundem aeternum Dei inimicum e caelesti Paradiso expellendo et in profundum conjicendo Infernum, tum Mulierem illam, quae "amicata sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim" in Apocalypsi apparet, non sine immani pugna defendendo, tum denique "animas suscipiendas" in Caelum strenue fortiusque servando, ad maiorem Dei gloriam. **H**aud aliter ut bona et ordinata dici possit atque caelesti Regno similis, accidit in terrestri hac Civitate, in hominum scilicet societate, quae, ad justitiam fovendam tuendosque bonos, robore ac fortitudine indiget legumque praesidiis fulcitur. **N**il mirum proinde quod publicae disciplinae in Italia Praepositi, grave impensumque pro communii bono ciuiumque utilitate militum onus attente considerantes atque de eorum physica et spirituali tutela quam maxime solliciti, Sanctum Michaëlem Archangelum publicae securitatis gerendae apud Deum Patronum jugiter habuerint. Solent enim christiani Exercitus, ex vetusta ac laudabil consuetudine. Summis Pontificibus faventibus et confirmantibus, caelestes Patronos, qui in adversis rebus, immo et in periculis, omnes et singulos tueantur illisque exoptatam tribuant victoriam, sibi deligere atque adsciscere. **Q**uos inter nullus publicae securitatis servandae aptior et magis consentaneus apparuit, quam caelestis ille Angelicae Cohortis Princeps, Michaël nempe Archangelus, divina contra "tenebrarum potestates" cum sit fortitudine praeditus. **Q**uacum ita sint, Venerabilis Frater Carolus Albertus Ferreyro di Cavallerleone, Archiepiscopus titularis Trapezuntinus, Ordinarius Militaris pro Italia, supra memorata vota excipiens, quo magis publicae disciplinae ac securitatis tutorum, sive Optimatum sive militum, spirituali bono ipsorumque contra civilium legum detractores praesidio consulatur, enixa Nobis preces addibuit ut **S**anctum Michaëlem Archangelum totius publicae securitatis tuendae Administrationis caelestem Patronum benigne declarare dignaremur. **N**os porro, Romanorum Pontificum Decesorum Nostrorum vestigia prementes, ad augendam illorum, quos supra memoravimus, pietatem, ipsosque superrio munimine et auxilio roborandas ac defendendas, hujusmodi votis precibusque annuendum perlubenti censuimus animo. **Q**ua propter, auditu Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micaela, Episcopo Viterbo, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum

**S**anctum Michaëlem Archangelum praecipuum totius Italicae publicae disciplinae ac securitatis tuendae Administrationis apud Deum Patronum declaramus, facimus ac constituimus, omnibus et singulis liturgicis privilegiis atque honoribus adjectis, quae praecipiis Coetuum Patronis caelestibus rite compeluntur. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. **H**aec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenisime suffragari; sicutque rite judicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. **D**atum ex Arce Gandalphi, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Septembri, in festo Sancti Michaëlis Archangeli, anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

**D**e speciali mandato Sanctissimi  
Pro Domino Cardinale a publicis Ecclesiae negotiis  
Giles Brugge  
Officium Regens  
Pontificis diplomatis argenteis.

